



F 3. 29 (1-3)  
2



3

EXEMPLA  
 LITTERARVM A  
 SERENISSIMO STE-  
 PHANO POLONIAE RE-  
 ge Ciuitati suæ Gedanensi datarum.

Iusiurandum eiusdem Ciuitatis Regiæ Maies-  
 tati datum.



VARSAVIAE.  
 ANNO Dñi. M. D. LXXVIII.



EXEMPLA  
LITTERARVM

1. Receptio in gratiam ac subiectionem,
2. Abolitio proscriptionis,
3. Confirmatio iurium,
4. Cautio de religione,
5. Edictum de iuridicis Ciuitatis negotiis,
6. Iuramentum à Ciuitate R. M. datum,

ANNO D. M. D. LXXVIII.  
VAR. SAVIAE.

STEPHANVS DEI  
GRATIA REX POLO-  
NIAE, MAGNVS DVX LITVA-  
niae, nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae,  
Siradiae, Lancitiae, Cuiaviae, Ruffiae, Pruffiae,  
Mazouiae, Samogitiae, ac Culmen, Elbina-  
gen, Pomeraniae, Kiiouiae, Podlachiae,  
Liouoniae, &c. Dominus. Nec non  
Transyluaniae Princeps.



Significamus praesentibus litteris nostris quorum interest vniuersis & singulis. Quia nos ad intercessionem Illustrissimorum Electorum, ac Principum Sacri Romani Imperii, vtz Illustrissimi Principis D. Augusti Ducis Saxoniae S. R. Imperii Archimarschali & Electoris, Landgrauii Turingiae, Marchionis Misniae, & Burgrauii Magdeburgen, per Magnificos & Generosos Abrahamum Bock in Polach & Kliphausen, & Andream Pauli Iurisconsultum: Item Illustrissimi Principis Dni Ioannis Georgii Marchionis Brandenburgen,

A 2

gen,

## LITTERAE

gen, Sacri Romani Imperii Archicamerarii & Electoris, ac Stetinenſis, Pomeraniae, Caſubarum, Vandalorum, nec non in Sileſia Croſnae Ducis, Burgrauii Norinbergenſis, & Principis Rugiae, per Magnificos & Generoſos Abrahamum à Grunenberg, Commendatorem in Lagovv, & Proprincipem Ducatus Croſnae, ac Chriſtopherum Meienburg. Item Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Principis Domini Ioachimi Friderici Primatus & Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, poſtulati Adminiſtratoris, Marchionis Brandeburgenſis, ac Stetinenſis, Pomeraniae, Caſubarum, nec non in Sileſia Croſnae Ducis, Burgrauii Norinbergenſis, & Principis Rugiae, per Magnificum Othonem à Ramin in Craſcovv: Item Illuſtris Principis D. Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis, ac in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſubarum, ac Sclauorum, nec non in Sileſia Carnouiae, &c. Ducis, Burgrauii Norinbergenſis, ac Rugiae Principis, per Magnificos & Generoſos Vilhelmum Baroznem ab Heideck, Ioannem Paulum à Schaunburg de Schnia Praefectum Curienſem, Georgium à Vanbach, in Vltfeldt, Caſparum Prantnerum Iuris vtriuſq; Doctorem. Item Illuſtris Principis Dñi

## GEDAN. DATAE.

pis Dñi Ludouici Ducis Vittenbergen, & Tecken-  
 kensis, Comitis Montisbeliardi, per Magnificum  
 Albertum Comitem in Levenstein Dominum  
 in Scharpfeneck. Item Illustrium Principum  
 dominorum Guilielmi, Ludouici, Philippi, &  
 Georgii fratrum, Landgrauorum Hafsia, Co-  
 mitum in Catzenelbogen, Dietz, Ziegenhein,  
 & Nidda, per Magnificos & Generosos Bur-  
 chardum à Calenbergk, Nicolaum Theophilum  
 I. V. Doctorem. Item Illustrium Principū Do-  
 minorum Ioannis Friderici, & Ernesti Ludouici  
 fratrum, Ducum Stetinen, Pomeranorum, Cas-  
 satorum, Vandalorumq, Principum Rugia,  
 nec non Comitum Gutzkouia, per Magnificos  
 & Generosos Tessen Kleist in Damen, Capitane-  
 um Stetinen, & Belgarden, ac Ioachimum Es-  
 gerum I. V. Doctorem, pro ciuitate Gedanen,  
 ad nos factam, vt remissis superioris temporis  
 offensis, eos in gratiam nostram recipere dignas-  
 remur, tanquam ceteros fideles ac subditos nos-  
 tros. Prædictam ciuitatem, ac eius magistratus,  
 ciues, & incolas quosuis, colonosq, in gratiam,  
 ac sub nostram subiectionem, & fidem, innitendo  
 iuri veteri, quod ad terras Prussia, & per conse-  
 quens ciuitatem Gedanensem, tanquam Rex  
A 3                      Poloniz

## LITTERAE

Poloniae electus & coronatus habemus, quod saluum & integrum manere perpetuo volumus, suscepimus, suscipimusque presentibus: conditionibus modo ad rationem offensae temporis proximè superioris accomodatis interuenientibus, ad quas se ciuitas ipsa per Internuncios ac plenipotentes suos, Constantinum Ferberum Proconsulem, Georgium Rozembergium Consulem, Henricum Lemcke I. V. Doctorem & Syndicum, Reinholdum Kleinfeldt Seniore Scabinorum, & Ioannem Noetke magistrum quartarum praedictae ciuitatis Gedaneñ, obstrinxit. Quae quidem conditiones sequuntur. Quod veniam deprecaturi sunt, iuxta formulam conceptam. Quod pro testanda sua debita erga nos subiectione & obedientia, nobis ducenta millia florenorum polonicalium, quemlibet per 30. gro. computando, exoluere teneantur intra quinquennium pensionibus aequalibus. Ut scilicet pro festo proximo D. Michaelis anni proximi 1578. quadraginta millia florenorum polonicalium, sequentibus vero annis deinceps, per quadraginta millia itidem florenorum pro quolibet festo D. Ioannis Baptistae, sine vlla dilatione aut excusatione, realiter & in effectum, nobis soluerent.

## GEDAN. DATAE

soluere, & in thesaurum nostrum inferre teneantur. Quòd iuramentum itidem fidei nobis sine ulla dilatione in manibus commissariorum nostrorum præstabūt, iuxta formulam iurisiurandi ciuitatum Prussiar, à D. Alexandro Rege in statuta Regni relatum. Deinceps verò quamprimum militem dimittere, & pacatam reddere ciuitatem teneantur. Ratione fabricæ Monasterii Oliuensis viginti millia florenorū poloniarum quinq; annis proximis pro quolibet festo Paschatis, æquis pensionibus per quatuor millia florenorum pro qualibet pensione, incipiendo à festo Paschatis proximè futuro in anno 1578. pro quo primam pensionem quatuor millia florenorum exoluere, & eodem die annis subsequētib; eandem pecuniam realiter & in effectu ad manus mandatarii Regiæ maiestatis numerabunt. Stationes, & annuam pecuniam, in signum supremi domini dari solitam, iuxta vim veterum priuilegiorum, & consuetudinem, suis temporibus deinceps exoluent. De debitis verò ipsorum, quæ sibi à regno deberi prætendunt, in Comitibus regni proximè futuris deliberabimus: Nos verò purè & beneuolè, ac ex gratia & clementia nostra, illa quæ infra scripta sunt,

## LITTERAE

pta sunt, illis promissimus & concessimus. Ac in primis omnem offensam illis, tam nostro, quam regni nostri nominibus, remisimus, decretumque proscriptionis contra eos promulgatum, aboleuimus, prout ipsa abolitio sub sigillo regni nostri edita, latius in se continet. Priuilegia itidem ac iura omnia ipsorum, vigore iurisiurandi nostri Cracouiae in Coronatione nostra praestiti, quod etiam iuramentum ad terras nostras Prussiae, & sic ad ciuitatem Gedanensem se extendit, litteris nostris authenticis, ipsis à nobis datis, roborauimus, & confirmauimus. De usu etiam libero religionis Augustanae, specialibus litteris nostris, inhaerendo confederationi publicae, illis cauimus. Quas omnes suprascriptas litteras tenere, seruare, & adimplere, in omnibus illarum punctis, conditionibus, ac clausulis, promittimus, ac verbo nostro Regio pollicemur. Praeterea verò hanc ipsis gratiam facimus, vt ipsis omnia damna, bonis nostris, ac subditorum nostrorum, ipsorumue personis, proximo tumultu illata, praeter tamen debita, & merces, ac res, apud eos ante tumultum belli depositas, clementer remittamus, & condonemus, neque hoc nomine quenquam eorum iuris aut facti via, tam

ab Ine



## GEDAN. DATAE.

ab Instigatore nostro, quàm à quouis subdito-  
rum nostrorum moleltari patiamur, quinimò  
eos euincere & eliberare tenebimur, & erimus as-  
tricti, excepto tamen Monasterio Oliuensi, ra-  
tione cuius, pecuniam supramemoratam exols-  
uere tenebuntur, modo suprascripto. Cum ves-  
tro sub tempus superioris offensæ, bona ipsorum  
quædam confiscauerimus, primum ea quæ sunt  
immobilia, tam publica quàm priuata vbicumq;  
locorum sita, ab hac cõsifcatione libera esse pro-  
nũciauimus & decreuimus, nec quenquam præ-  
textu quarumuis litterarum ac cõcessionum nos-  
strarum, eos ab eorum possessione repellere de-  
bere statuimus. Mobilium verò bonorum, ac es-  
tiam debitorum confiscatorum, non maiorem  
30000. florenorum monetæ & numeri polonis-  
calis, summam fore declaramus, & prædictæ  
confiscationis catalogum sub initium conuen-  
tus Regni illis edi mandabimus, ita vt ea quæ  
illo continebuntur, rata habeant. Hæc tamen sũ-  
ma omnium collecta 30000. non exuperet.  
Quodsi verò aliquid exuperauerit, tum ciuita-  
tem ipsam, & ciues, ac incolas eius non afficiet,  
nosq; eos hoc nomine indemnes reddemus.  
Quodsi autem aliquorum extra auctoritatem  
**B** nostram

## LITTERAE.

nostram, à quibusuis magistratibus vel priuatis confiscatio facta fuerit, id vti per se nullum robur habet, ita ea planè ciuitati vel eius incolis quorum interest plenè restitui debet. Omnes etiam sententias, decreta, edicta, concessiones, sequestrationes, arresta aut priuilegia, quæ in præiudicium ciuitatis illius, aut locorum ad eam quomodolibet pertinentium, vel personarum tam publicarum, quàm priuatarum, sub eum tumultum fortè promulgata sunt (extra tamen donationes bonorum mobilium & debitorum confiscatorum, sūma florenorum 30000, supra nominata comprehensorum) annihilamus & cassamus, ita vt omnes ciuitatis & priuatorum actiones, quæ ad aulam nostram, per appellationem aut alio quouis modo, deuolutæ sunt, vel in aliis prouinciis regno nostro contentis adhuc pendent, partibus saluæ sint & integre, in iisdemq; terminis mancant, quibus ante coronationem nostram erant: omniaq; interea acta vel intetata, irrita sint, & nullum effectum habeant. Quod si qui sunt ciuium illorum, qui bona terrestria habeant, nec tempore huius tumultus inuestituram illorum bonorum à nobis postulauerunt, aut seruitia debita præstiterunt

tunc

## GEDAN. DATAE.

runt, bona ipsa ob eam causam non amittent, sed ad ea per clementiam nostram hoc ipso restituantur. Militi verò eorum conductio, & omnibus illis, qui interea ciuitatem illam ope, consilio, auxilio quocunq; iuuerunt, cuiuscunq; sint generis vel qualitatis, nulla deinceps molestia aut præiudiciũ propterea creabitur. Militi etiam discedenti nullum discrimen vel incõmodum adferetur. Et si qui fortassis fuerint ex subditis nostris, qui ciuitati personaliter militauerunt, vel ei studio & beneuolentia, vel quocunq; officiorum genere cõmodarunt, nulla his propterea, vel ipsorum bonis & facultatibus molestia, difficultas, aut periculum exhibebitur. Cum verò supradicta ciuitas libellum quendã nobis obtulisset earum rerum, quibus se grauari dicebat contra iura ac priuilegia sua, quarum rerum potissimã, ad acta Cõmissariorum à D. Sigismũdo Augusto antecessore nostro ad eam ciuitatem missorum, ac item ad conuentuum regni nostri constitutiones, pertinerent, ea grauaamina à nobis differuntur ad conuentum omnium terrarum regni, ad quem conuentum aduocati sunt iam Consiliiarii Prussiae quoq; adhibebunturq; huic deliberationi de grauaminibus

B 2

bus :

## LITTERAE

bus. Et quæcunq; iniuste & illegittimè irrogata  
fuisse liquebit, de consilio Senatorum tollemus.  
Eodem modo negocium Portorii, ad eundem  
Conuentum differtur. Cum verò ciuitas, quæ  
dam de ingressus nostri in urbem ratione, sup-  
plicando nobis proposuisset, nolimus nobis  
ea in re præscribi, cum ea arbitrii antecessorum  
nostrorum fuerit. Quando autem ingredi volu-  
erimus, securitati ciuitatis, vt antecessores nostri  
fecerunt, auctoritate nostra prospiciemus. Hæc  
igitur suprascripta, præfatæ ciuitati Gedanensi,  
pure, beneuolè, ac ex gratia & clementia nostra  
concessimus & indulgimus, eaq; ad omniū quo-  
rum interest notitiã deducimus, Mandantes, vt,  
prout, ad quemq; spectare poterunt, ea obser-  
uent & adimplcant. Prædicta verò etiam ciui-  
tas, ad superiora, pro parte sua realiter & in ef-  
fectu præstanda, ac adimplenda, obligata erit, &  
astricta. In cuius rei fidè præsentis litteras ma-  
nu propria subscripsimus, & sigillo regni nostri  
cõmuniri iussimus. Actum & datũ Mariæburgi  
die XII. Mensis Decembris. Anno Dñi M. D.  
LXXVII. Regni verò nostri anno secundo.  
Præsentibus præfatorum Illustrissimorum & Il-  
lustrium Electorum & Principum Germaniæ  
supra-

GFDAN. DATAE.

supradictis oratoribus, atq; Reuerendo, Magnificis, Generosis ac Venerabilibus, Petro Dunia Volski Episcopo Ploceñ, & regni nostri Cancellario. Ioanne Kosika à Stemberg Palatino Sandomiriēñ, ac Mariæburgeñ, Puceñ, Derscho: uieñ, Capitaneo, ac terrarum nostrarum Prus: siæ Thesaurario. Eustachio Volouicz Castell: Troceñ, Magni Ducatus Litvvaniz Vicecancellario, & Brzesteñ, in Litvvania Cobriniensiq; Capitaneo. Petro de Potulice Palatino Ploceñ: Ioanne à Zborovv Castell: Gnesneñ, & exercituum Curiaz nostræ præfecto, ac Odolanouieñ, Capitaneo. Michaele Myszka de Varkouice Castell: Volyniz. Andrea Firlei de Dabrouicza Castell: Lublineñ, & Capitaneo Sandomiriēñ. Ioanne Zamoiski de Zamoscie Regni nostri Vicecancellario, ac Belseñ, Knyschynēñ, Zamecheñ, Capitaneo. Hieronymo Comite à Rozrazovv, Ploceñ, Vratislaviensiq; Præposito, & regni nostri maiore Secretario, Casparo Gieszkavv Abbate Oliueñ. Ioanne Borukovvski Præposito Lancicieñ, Decano Varschauieñ, Canonico Cracouieñ. Laurentio Goszlicki Cantore Ploceñ, Decano Kielceñ, & Cracouieñ, Sandom.riensiq; Canonico. Andrea Patricio

B 3 Nidecki

## LITTERAE

Nidecki Archidiacono Vilneſi, Cuſtode Varſchauieſi, Canonico Sandomirieſi. Ioanne Detro Solikovvski Scholaſtico Lancicieſi, Iacobo Vdrzicki Cracouieſi, Varſchauieſiſq; Canonico. Mathia Klodzinski Archidiacono Medniceſi, Canonico Cracouieſi. Paulo Zaiackovvski Canonico Olomuceſi, Conſiliariis & Secretariis noſtris, aliisq; quamplurimis Secretariis, Dignitariis, Officialibus & aulicis noſtris, ſyncerè, deuotè & fidelibus nobis dilectis. Datū per manus præfati Magnifici Ioannis Zamoiſki de Zamocie Regni noſtri Vicecancellarii,

Alolitio

# ABOLITIO PROSCRIPTIONIS.

STEPHANVS DEI GRATIA  
Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae,  
Prussiae, Mazouiae, Samogitiaeq; &c. Nec  
non Princeps Transyluaniae.

Significamus praesentibus litteris nostris quorū interest vniuersis. Quod cum vocati & citati essent ad nos litteris citationum nostrarū, de data Mariaburgi sabbato post festū exaltationis s. Crucis pximo anno Millesimo Quingentesimo Septuagesimo sexto. Famati Burgrabius, Proconsules, Consules, Aduocatus, Scabini, & Centumviri ciuitatis nostrae Gedanensis ab Instigatore causarum officii nostri, occasione certarum causarum Maiestatem nostram concernentium, & latius in litteris praedictis citationis nostrae comprehensarum. Et citati quidem sic, vt coram nobis ac consiliariis nostris lateri nostro tunc assidentibus, ad diem feriae quintae proximae in arce nostra Mariaburgensi, aut vs hicunq; protunc cum Curia nostra feliciter constituti fuissetus, legitime, peremptorie, & personae

## LITTERAE

personaliter comparerent, ipsiq; nihilominus eo modo legitimè ad tribunal nostrum euocati se ipsi non listerent, & in iudicio nostro non responderent. Etsi tunc iam iure ipso licitum nobis fuit, reos citatos, non comparentes, ita vt accusabantur, condemnare, faciendum tamen nobis esse existimauimus ex gratia & benignitate nostra, vt diem tunc etiam ferendi aduersus eos decreti nostri, longius, ad diem videlicet vigesimam quintam Septembris differremus. Qui dies etiam cum aduenisset, & nemo tamen Gedanensium citatorum ne tunc quidem compareret. Nos sanè cum consiliariis & iurisperitis nostris, visa contumacia iterata praedictorum citatorum vniuersorum & singulorum superiorum descriptorum, inhærendo legibus regni nostri, & constitutionibus Conuentuum regni eiusdem, id quod antea iam facere poteramus, vt eos contumaces pronunciatos, eorum de quibus accusabantur, condemnaremus, tunc quidem illos in contumacia denuò perseuerantes tanquam rebelles feria secunda post festum S. Mathei Apostoli, anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, proscripsimus decreto nostro; quod quidem de his omnibus plenius

GEDAN. DATAE.

plenus loquitur. Nunc autem cum intercessissent apud nos Illustrissimorum Saxoniae ac Brandenburgensium, Electorum, & Magdeburgensium, Brandenburgensium, Vircenbergen, Pomeraniae, & Holsiae Principum Consilarii & Oratores ad nos missi, suorum Principum nominibus, ut civitati praefati, necnon tota communitas civitatis Gedanensis, errorem suum a nobis iam sit deprecata, fidemque ac subiectionem erga nos iam profiteatur, ac hoc nomine nobis iusiurandum solenne sine mora dare per plenipotentes suos sponderit, militemque dimittere ac nobis satisfacere, nec a fidelitate, subiectione, & obedientia, Regibus Poloniae, vigore reincorporationis & reinuiscerationis terrarum Prussiae, quibus civitas Gedanensis continetur, ad regnum Poloniae cuius membrum sunt, & una cum ceteris subditis eius, Regibus eiusdem regni subesse tenentur, debita, se unquam recessuram promiserit, decretum illud contra ipsos latum, ex gratia & clementia nostra rescindere, tollere atque abrogare dignemur. Nos sane attendentes fidem & subiectionem Gedanensium ipsorum, considerantes etiam indicia eiusmodi, ex quibus iam poenitens eorum, & erga nos regnumque nostrum

C

nostrum

## LITTERAE

nostrum fidelis animus satis perspicui intelligiq̃  
potest, tum verò maximè rationem habentes vt  
debemus, Illustrissimorum & Illustrium Electo-  
rum & Principum prædictorum, quorum nomi-  
nibus Cõsiliarii & Oratores Illustritatum suarũ  
apud nos pro Gedanensibus ipsis intercedebãt:  
faciendum nobis esse existimauimus, vt prædi-  
ctam ciuitatem nostram Gedanensem omnesq̃  
ipsius nominatos magistratus & incolas ipsos  
ac colonos in gratiam nostram reciperemus, erro-  
rem illorum & indignationem nostram ipsis  
condonaremus & remitteremus, decretumq̃ no-  
strum contra eam datum ac promulgatum tol-  
leremus, aboleremus, cassaremus, & annihilare-  
mus, & eundem magistratum & ciuitatem ipsã  
in pristinũ statum restitueremus. Prout quidem  
eandẽ ciuitatem Gedanensẽ, omnesq̃ ipsius ma-  
gistratus & ciues, incolas ac colonos omnes &  
singulos recipimus in gratiam nostram, errorem  
eorum omnem & indignationem nostram cle-  
menter ipsis condonamus, & decretum p̃scri-  
ptionis contra illam & illos latum, in omnibus  
eius clausulis & articulis, abolemus, tollimus,  
cassamus, annihilamus & abrogamus: ac ciui-  
tatem ipsam, omnesq̃ eius ciues & incolas, ad  
dignis

## GEDAN, DATAE.

dignitatis, honoris, existimationis, libertatum, priuilegiorum, iurium, iurisdictionum quarum iam inde ab initio continuum vsum tam in vrbe quam extra urbem & in quibusuis locis habuit, & aliarum quarumuis prerogatiuarum, statum, modum, & conditionem, in qua ante latum decretum fuit, restituiamus ac reponimus, vigore presentis abolitionis, cassationis & annihilationis dicti decreti nostri. Ita quod hac nostra clementi abolitione decreti interueniente, predicta ciuitas Gedanensis ab omnibus honesta & fidelis nobis ac regno nostro iudicetur ac habeatur, in omnibus suis priuilegiis, iurisdictionibus, libertatibus ac prerogatiuis, plene & integre utatur ac fruatur. In quorum omnium fidem, presentes manu nostra subscripsimus, & sigillum nostrum apprimi iulimus. Actum & datum Mariæburgi die decima sexta Mensis Decembris. Anno Domini, Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Regni nostri anno secundo.

C 2

Confirmatio



LITTERAE.  
CONFIRMATIO  
IVRIVM.

IN NOMINE DOMINI AMEN.  
Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ea,  
quæ testimonio litterarum custodiuntur, firma  
perpetuaq; esse consueuerunt, ideò præstantissî-  
ma esse censentur, quòd immortalitatis æterni-  
tatisq; memoriam in se cõtineant. Proinde nos  
STEPHANVS Dei gratia REX Polo-  
niæ, Magnus Dux Lituaniæ, nec non terrarum  
Cuiuuiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lancitiæ, Rus-  
siæ, Prussiiæ, ac Culmensis & Elbingensis, Pomeræ-  
niæ, Liuoniæq;, tum etiam Transyluaniæ Prin-  
ceps. Significamus tenore præsentium quibus  
expedit vniuersis præsentibus & futuris, harum  
notitiam habituris. Quòd cum regalis fastigii  
ac dignitatis excellentiam in eo positam esse in-  
primis sciamus, vt eorum quibus præsumus cõ-  
moda, vtilitates, honores, prærogatiuas tuea-  
mur, eosq; beatissimos & felicissimos efficiamus.  
Huius autem felicitatis memoria cum litteris &  
monumentis tanquam fidissimis æternitatis cus-  
todibus soleat cõmitti. Nosq; in felici corona-  
tione

## GEDAN. DATAE.

tione nostra omnium incolarum regni nostri iura & priuilegia confirmauerimus: petiisset etiam à nobis ciuitas nostra Gedanensis, vt eodem modo ipsius iura priuilegiaq; confirmaremus, ipsiusq; omnium libertatum & immunitatum firmitati, ex auctoritate nostra Regia prospiceremus, & iuramentum à nobis in Coronatione nostra Regia Cracouiæ præstitum, ad status terrarum Prusiæ & sic ad eandem ciuitatem nostram Gedanensem pertinere declararemus. Ideo nos supplicationibus subditorum nostrorū ciuitatis Gedanensis iustis & legitimis adducti, ex mera gratia clementiaq; nostra Regia, omnia & singula eiusdem ciuitatis nostræ Gedanensis iura, priuilegia, libertates, prærogatiuas, immunitates, consuetudines laudabiles, sub quibuscunq; verborum tenoribus & modis, per Serenissimos prædecessores nostros Reges, Principes, Duces, Magistros, datas, donatas, concessas, & emanatas, ac data, concessa, emanata, tentaq; & obseruata, quorum & quarum hic tenores habere volumus pro insertis, in omnibus ipsorum & ipsarum modis, punctis, articulis, clausulis, conditionibus & consuetudinibus, roborandas, confirmandas & ratificandas, ac roboranda

C 3

boranda

## LITTERAE

boranda, confirmanda ac ratificanda duximus  
& decreuimus, roboramusq; confirmamus &  
ratificamus, ac praesentis scripti patrocinio fir-  
mamus & approbamus, illa & illas perpetuo,  
verè, indubiè, & in æuum, inuiolabilis firmita-  
tis robur obtinere debere: ita uti in conuentu  
felici nostræ Coronationis in forma plenissima  
iurauimus. Quo iuramento terras Prussiae &  
sic ciuitatem nostram Gedanensem comprehen-  
sam esse volumus, declaramus & extendimus,  
omniaq; eadè obligatione, & ita firmiter, quem-  
admodum aliis statibus & ordinibus regni Po-  
loniæ tenere ac seruare nos recipimus. Promit-  
tentes sub iuramento nostro, quod in prædicta  
felici Coronatione nostra corporaliter præstiti-  
mus, quo terras Prussiae ita comprehensas volu-  
mus, ut prædicta ipsorum priuilegia omnia, sac-  
ta & tecta remaneant, omnia illa superius ex-  
pressa, in omnibus earum modis, positionibus,  
descriptionibus, articulis, punctis, & conditio-  
nibus, declarationibus, extensionibus, firmiter,  
& inuiolabiliter, tenere, habere, obseruare, tene-  
riq; haberi, & obseruari facere, temporibus per-  
petuo duraturis: ita ut omnia incòmoda abusu-  
sus & difficultates, quæ contra ipsorum priuile-  
gia

GEDAN. DATAE.

gia irreperunt, illis nec præiudicare, nec vlla ra-  
tione obesse debeant. In quorum omnium fidem  
& testimonium sigillum nostrum præsentibus  
est subappensum. Datum Mariæburgi die des-  
cimafexta Mensis Decembris. Anno Domini,  
M. D. LXXVII. Regni nostri anno secun-  
do. Præsentibus &c.

CAVTIO DE RE-  
LIGIONE.

STEPHANVS DEI GRATIA  
R. E. X. Poloniæ &c. Significamus, &c. Quòd  
cum à nobis petiissent Internuncii ciuitatis nos-  
stræ Gedaneñ, vt illi liberum vsu & professio-  
nem religionis Augustanæ confessionis conceder-  
emus, litterisq; nostris id illis firmum & stabile  
esse debere caueremus. Nos qui iam pridem  
in conuentu Coronationis nostræ, atq; prius in  
Transyluania iuramentū de religione seruanda  
præstitimus, facile consensimus, vt iterata pro-  
missione

## LITTERAE

missione nostra, ita petentibus ciuitatis nostrae Internunciis, denuò etiam, promittamus & concedamus, vt religionis Augustanae confessionis tam in ciuitate Gedanensi, quàm extra muros in eius districtu & iurisdictione, templis, monasteriis, xenodochiis, vt sub aduentum nostrum in Regnũ utebanrur, & in eius possessione fuerunt pacificè & quiete, libera professio fiat, neue cuiquam religionis ergò molestia vel negocium exhibeatur, omnesq; in libero vsu religionis Augustanae confessionis conseruabimus, manu tenebimus, & tuebimur, quemadmodum id tam in Transyluania, quàm postea etiam Cracouiae iureiurando Regio affirmauimus. Nec voluimus vt in templis, ritus caeremoniarum vllò pacto immutentur. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, sigillumq; nostrum iis appendi iussimus. Datum Mariburgi die decimasexta Mensis Decembris. Anno Dñi. M. D. LXXVII. Regni nostri anno secundo.

Edictum

GEDAN. DATAE.  
E D I C T V M D E  
I V R I D I C I S C I V I T A T I S  
N E G O C I I S .

STEPHANVS DEI GRATIA  
R E X Poloniae, Magnus Dux Lituaniae &c.

**V**Niuerfis & singulis cuiuscunq; dignitatis,  
status, conditionis & præminentia hominibus,  
nominatim verò quibuscunq; & quarumcunq;  
iurisdictionum, dignitariis, officialibus, & ma-  
gistratibus, in quocunq; loco ditionum nostra-  
rum existentibus, Significamus præsentibus lit-  
teris nostris, Quòd cum ciuitas nostra Geda-  
nensis fidem & subiectionem suam solenni iure-  
iurando nobis obstrinxisset, nosq; eam ciuita-  
tem in gratiam & clementiam nostram regiam  
recepissemus, decretumq; nostrum proscriptio-  
nis contra illam latum, aboleuissemus, Visum  
est nobis, propter maiorem eiusdem vrbis secu-  
ritatem, hisce quoq; litteris nostris ea in re ipsi  
peculiariter prospicere. Nimirum, quòd omnes  
sententias, decreta, edicta, concessiones, arresta,  
D aut

## LITTERAE.

aut priuilegia, quæ in præiudicium memoratæ  
ciuitatis Gedanensis, aut locorum ad eam quo-  
modolibet pertinentium, vel personarum, tam  
publicarum quàm priuatarum, sub eum tumultu  
promulgata sunt (extra tamen donationes  
bonorum quorundam mobiliū confiscatorum)  
abolemus & cassamus præsentibus litteris no-  
stris, ita vt omnes eiusdem ciuitatis & priua-  
torum actiones, quæ ad aulam nostram Regi-  
am per appellationem, aut alio quouis modo  
deuolutæ sunt, vel in aliis prouinciis regno no-  
stro contentis, adhuc pendent, partibus saluæ  
sint & integræ, in iisdemq; terminis maneat, in  
quibus ante coronationem nostram erant. Om-  
nia verò à coronatione nostra ad hoc vsq; tē-  
pus in supradictis acta, vel intentata, irrita &  
nullius roboris esse volumus & decernimus.  
Quod ad omnium & singulorum notitiam de-  
ducentes, mandamus, vt omnes & singulas  
prædictæ ciuitatis Gedanensis, & quorumuis i-  
psius ciuium, causas & actiones superius expres-  
sas, per nos ad eum statum, in quo ante coro-  
nationem nostram fuerunt, restitutas, non aliter  
iudicent & discernant, progressusq; iuris quos-  
cunq; in eisdem, non alios facere permittant,  
nisi

GEDAN. DATAE.

nisi iuxta tenorem praesentium litterarum nostrarum. Secus pro gratia & graui indignatione nostra non facturi. In cuius rei &c. praesentes manu nostra subscripsimus, sigillumque nostrum iis apprimi iussimus. Datum Mariaeburgi die XVI. Mensis Decembris. Anno dñi M. D. LXXVII. Regni nostri anno secundo.

**IURAMENTVM A CIVITATE GEDANENSI, REGIAE**  
Maiestati datum, die sedecima Mensis Decembris, Anno Dñi, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo, septimo, coram Magnificis Eustachio Volouicz Troceñ. Magni Ducatus Lituaniae Vicecancellario, & Bresteñ. in Lituania, Cobrinensiq; Capitaneo. Andrea Firlei de Dabrouica Lublineñ. & Capitaneo Sandomirienñ. Adamo Valovvski Elbingenñ. Castellanis. Ac Venerabili Hieronymo Comite à Rozrazovv, Ploceñ. & Vratislauienñ. Praeposito, ac maiori Secretario, Commissariis Regiae Maiestatis.


D 2 Ego

## LITTERAE


Ego N. iuro, quia Serenissimo Principi & Domino, Dño Stephano Dei gratia Regi Poloniz, &c. & suis legitimis successoribus Regibus, primoq; coronatis, fidelis ero, suaq; Serenitatis honorem, statum Regium, & commodum Reipub. Coronaz, & terrarum Prussiz, pro posse meo procurabo, suam Serenitatem de omnibus damnis, quæ sciuerō, auifabo, & ea manifestabo fideliter. Sic me Deus adiuuet, &c.

## ERRATA.

Pagina 2. pro Schma lege Schnia. eadem pag. pro Vambach leg. Vanbach. pag. 8. pro debet leg. debent. pag. 11. pro Stemberg leg. Stangenberg.








VDIG  
PICA ✓





3  
E X E M P L A  
L I T T E R A R V M A  
S E R E N I S S I M O S T E  
P H A N O P O L O N I A E R E  
ge Ciuitati suæ Gedanensi datarum,

Iusiurandum eiusdem Ciuitatis Regiz Maies  
tati datum.

